



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

Disquisitio VII. Quid authoritatis habeat Romanus Pontifex circa Beneficia  
& Bona Ecclesiastica?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

secum afferat auctoritatem ipsam, hominibus imperandi, & res ipsas pertractandi jure suo, alijs etiam dissentientibus.

93.

Hinc ergo pro nono videamus, an huic doctrina perspicue, quam haec tenus exposui-  
mus, dissonent, an concinuant S. Cypriani verba, qua sunt hujusmodi: *Quoniam Dominus ad Petrum: Ad dicabo Ecclesiam meam, & portae inferorum non vincent eam; & tibi dabo claves regni celorum; & quae ligaveris super terram, erunt ligatae & in celis, & quacunque solveris super terram, erunt solatae & in celis.* Et iterum eidem post suam Resurrectionem dicit: *Pasco oves meas.* Super illum unum adficat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam patrem potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego misso vos; accipite Spiritum Sanum;* si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui temueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suam au-  
toritate dispositus. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, paricensorio prædi-  
ti, & honoris, & potestatis; sed exordium ab uni-  
tate proficiscitur. Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur. Et Pastores sunt omnes, sed unus grex ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pas-  
cuntur. Et infra: *Hanc Ecclesie unitatem qui non tenet, tenere se fidem, credit?* qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deferit, in Ecclesia se esse, confidit? Num forte per haec verba relin-  
quitur dubitatio, an ex Cypriani sententiâ S. Petrus, ejusque Sedes summum in Ecclesia Dei principatum obtineant? An lejunctio ab ijs, qui in ea sedent, queat conjungi cum hu-  
ijs communione? Quid si cui fortassis in-  
mentum veniret, Cypriani sententiam esse, supremum Petri Principatum, imperijque uni-  
tatem in eâ tantummodo prærogativâ fuisse sita, quod Petrum Christus ante alios no-  
minaverit, quodque ab unico ex rectoribus fuerit incepta numeratio, constitutâ nihilomi-  
nus postea integrâ & qualitate, atque regendi libertate inter ipsos, eorumque successores; insipientem profectò differendi rationem ex sapientissimo illius egregij Doctoris ore deponeret: perinde quâl satis sit, ut unitas Principatus constituantur, multorumque gu-  
bernatio tollatur, si supremi Rectores atque College post alium alias deinceps, & non omnes unicâ locutione nominentur.

94.

Pro decimo & postremo concludere jam licet, S. Cyprianum aperte contradicere Suavi ac Ellicio. Etenim si à Cypriano doce-  
mur, unum esse Episcopatum, cuius parrem suam quicumque Episcopus obtinet in solidum, dum multis Episcopos & quiparat multis radis, qui tandem unum folis lumen conficiunt, multisque ramis, qui eundem omnes vigorem trahuntab eodem trunko, hæc planè exempla Suavis doctrinam oppug-  
nant. Unus è foliis radis num forte ad illu-

minandum transgreditur locum ab alio il-  
luminatum? Unus ramus alterius frondes &  
folia enarrat? Quid plura? Nōne diceris ver-  
bis mentem suam explicat Cyprianus? Num,  
inquit, est Caput, una origo, & una mater. Hæc  
est unitas, quam ille affirmat in Ecclesia, uni-  
tas Ordinis in singulis æqualis, & quæ singuli  
redduntur idonei ad exercenda ubique loco-  
rum Episcopi ministeria: unitas Capitis, hoc  
est, Petri, ejusque Successorum, in qua Chris-  
tus fundavit Ecclesiam, & cui pertinat inni-  
xx omnes hujus Regiae columnæ, non ver-  
Dioceſeon confuso.

### DISQUISITIO VII.

*Quid authoritatis habeat Romanus Ponti-  
fex circa Beneficia & Bona Ecclesiastica?*

#### I. I.

**N**eque hanc disquisitionem *absolutæ*, sed sub respectu ac relatione ad Gallias Reg-  
num hic tractare, est nobis animus, ideoque  
præmissa Divi Thomæ hanc in rem senten-  
tiâ, reliquam causâ hujus discussionem ex  
unico Auctore tractatus de libertatibus Ec-  
clesiæ Gallicanaæ cit. lib. 6. cap. 10. ob ledo-  
ris oculos ponere intendimus. Doctoritque  
Angelicus 2. 2. q. 100. art. 1: ad 7. docet, pe-  
sum Summum Pontificem directionem eis  
bonorum Ecclesiasticorum, non autem do-  
minium. Quamvis enim, inquit, res Ecclesiæ  
sint ejus (Summi Pontificis) ut principalis di-  
spensator; non tamen sunt ejus, ut Domini, &  
possessoris. Quem locum sic commentari est  
Cardinalis Cajetanus; Nota, quod, cum potest  
Papa quoad res temporales Ecclesiæ non sit pa-  
pas Domini, sed Dispensator, consequensq; ut  
plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ  
temporalia non exeat limites potestatis Dispensati-  
væ, &c. Et inferioris; Ex eodem quoque funda-  
mento, scilicet quod Papa non est Dominus, sed  
Dispensator, sequitur, quod de plenitudine potes-  
tatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiæ, nisi  
voluerit, aut consanguineis, &c. sed tenetus fi-  
deliter dispensare, ut recta ratio suadet, justa il-  
lud; Hic jam queritur inter dispensatores, ut fi-  
delis quis inveniatur. Et rursus: Fidelis ferre,  
& prudens, quem constituit Dominus super fami-  
liam, ut det illis in tempore tritici menstrum,  
& non ad libitum, quantum voleret.

Quo præsupposito, prædictus Auctor à 1.  
n. 6. ita disserit: longissime, inquiens, inter  
se distant bona sacra, & prophana, licet a-  
utorumque folam dispensationem hominibus  
concedit doceant sancti Patres. Ita in om-  
nes usus non prohibitos expendi possunt,  
quantum est ex ipsorum conditione. Quid  
addo, quia ex hominis affectu in eo sapilli-  
mè peccatur: sacra verò nisi in operibus ve-  
rè pijs, & sanctis infumere, nefas est. Hoc  
nomen ipsum manifestè significat; sanctum  
enim,

## De Apost. erga SS. Canones potestate. 503

enim, aut sacram idem est, quod ab omni usu prophano semotum & cultui Divino mancipatum, sive immediate, ut vasa sacra, quibus ad peragendam rem Divinam utimur, sive mediatae, ut decimae, & alia, quibus templo fortatae, & ornata conservantur, Altaris ministri aluntur, aliaque opera pia perficiuntur.

Licet autem Papa non sit absolutus bonorum omnium Ecclesiasticorum Dominus; tamen quae rationes a jure naturali, & positivo, Divino & humano doctae probant, eum, qui Altari servit, de Altari vivere debere, eadem etiam demonstrant, Romanum Pontificem, cum omnium Ecclesiarum sit Primas, cum teneatur, ut illarum Pastores officio fungantur, invigilare, delinquentes corriger, atque, si peccatum exigit, plectere, illorum iuratu, aliaque probi Patris, & Pastoris officia exhibere, posse de redditibus Ecclesiarum omnium ea capere, quibus ad congruam suam, Officialiumque sibi collaborantium sustentationem indiger.

Itaque, quamvis certa sint Ecclesiae Romanae, sicut & reliquis alijs, bona destinata, sicut illa non sufficiant, licebit, quae deerunt, ex alijs Ecclesias conquirere. Ut enim multiplex personam sustinet Pontifex, ita multiplices sumptus facit; & unius quidem Diocesios necessitatibus providenti sufficiunt fructus inde percepti; at non totum Christi gregem palcenti, atque regenti. Si ergo Reges consumptis dominij, ut vocant, redditibus, qui proprijs, & Regni expensis erant destinati, sine injurya possint exigere subsidia, ad bella pro Regni tuitione, aut securitate suscipienda, vel sustinenda, aliaque gerenda negotia, publico bono utilia: quidni poterit Summus Pontifex, ipsi, quae a speciali Dioceseli percipit, ad ipsummet Dioceseos bonum expensis, ab omnibus alijs Ecclesias, quibus propiscere tenetur, necessaria subsidia sibi assumere. Quarta potestas, inquit Cancellarius Parisiensis lib. de vita Spirit. anim. lect. 3. Naturaliter Papa conveniens habet, & requirit, ut tanquam superior & tutor, atque conservator honoretur, & juvetur ab omnibus.

Concilium Basileense, quod in id maximè incubuisse videtur, ut Summi Pontificis iura quam angustos posset, in fines arceret, cum Annatarum usum abolendum decerneret, hoc tamen tēperamento Decretum lenivit; Pro oneribus autem, que ipsum (Romanum Pontificem) pro regimine universalis Ecclesie subire, oportet, pro quo sustentatione sancta Romana Ecclesia Cardinalium, & aliorum necessariorum Officialium hoc sacrum Concilium, ante sui dissolutionem omnino debite, & congruentem providebit. Quid si contingat, aliquam circa hoc provisionem non facere, per hoc eadem sancta Synodus, non intendit in aliquo modo prædicare sancta Romana, & universalis Ecclesia. Datum Basilea in Majori Ecclesia in Sessione publicâ, celebratâ anno Domini 1433. 30. Iulij.

Itaque Clerus Gallicanus, qui tam alacriter, tamque liberaliter Regi suo, tum singulis annis certa rataque, tum quinto quo-

que anno nova & extraordinaria subsidia confert, quibus Regnum ab haeresi liberet, aut tueatur, iniquus esset, si Summo Pontifici, qui totius Ecclesie curam ex Divino mandato gerit, ea sine injuriâ denegari posse arbitraretur, quibus ad rectum, & felix totius Christianitatis regimen indiger. Quæ in-justitia clarius appareret, si Summo Pontifici non tam pro sua, suorumque sustentatione, quam pro totius Ecclesie adversus In- fideles defensione auxilium postulanti non ob- temperaretur.

Nec justa esset excusatio, si objicerentur nonnulli abusus, qui forte olim in exigendis hujusmodi subsidijs irrepererunt, ut optimè notavit Joannes Geronius, sex considerationes super statu summi Pontificis & Dominorū sanctæ Ecclesie Cardinalium ponens. Statutis enim in duabus primis considerationibus dignitate, atque autoritate illius statu; nec non jure capienda sustentationis, considerationem tertiam hanc addit; status praeditus non ideo perdit jura sibi convenientia, qua posuit propositione duplex procedens, si forte fuerint abusus aliquis personales, olim, vel nunc inventi. Alterquin sic argueretur adversus omnem statum, neatum Ecclesiasticum, sed temporalem; quod dissipandus est, deferendas, & perdendas; quoniam in multis offendimus omnes. Geronius tom. 1. col. 188.

## §. II.

Quanta ex prædictis fundamentis sit Summo Pontifici potestas in exigendis a Cle-ro Gallicano pro Ecclesie universalis nec- cissitatibus, præcipue adversus in-fideles subsidijs.

I Ta pergit prædictus Author cap. II. Docet nos B. Paulus, & post illum unanimi consensu sancti Patres, ac Doctores Catholici, Ecclesiam corpus esse; ipsum (Christum) de-dit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, inquit Apostolus Ephes. 4. Adimpleo ea, quæ defant passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Col. 1. v. 14. Illius corporis membra sunt omnes fideles; sicut enim corpus unum est, & membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. 1. Corinth. 12. v. 12. Vos autem etsi corpus Christi, & membra de membro. ibid. v. 27.

Quæ autem sint membrorum inter se affectiones, & officia, explicat Apostolus 1. Corin-th. 12. v. 25. & 26. his verbis; Idipsum pro in-vicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Quemadmodum igitur in corpore naturali sola membra resculsa, vel arida cæterorum dolore non afficiuntur; ita in mystico Ecclesie corpore, qui singularum Ecclesiarum infortunijs, ac persecutionibus non moventur, se viva mystici corporis Christi membra non esse, declarant.

Cæterum mutua illa membrorum solici-tudo non in solo sustinet passionum communio-ne, sed ulterius in præstandâ operâ & auxi-

lio, ut imminens, aut jam vexans malum propulsatur. Læsa mano, accurrunt oculi, ut vulnus intueantur, pedes ad remedium prope-  
rant, lingua illud postular, altera manus ad-  
moveret, singula denique membra propria of-  
ficia obeunt, ad unius partis offensæ solatiū.  
Non ergo Christianæ charitatis præcepto fa-  
ciunt satis, qui afflitos condolent, nec opem  
ferunt. Cūm Christiani Ierosolymitani magnā  
laborarent egestate, tanto cum affectu illis  
cæteri succurrerunt, ut effusam illorū liberali-  
tatem moderari ferē opus fuerit; Quia secundum  
virtutem & supra virtutē voluntarī fuerunt. 2. Cor.  
8. v. 3. Itaq; modum hunc præscripti Aposto-  
lus, non ut alijs sit remissio, vobis autem tribulatio;  
sed ex equalitate. In praesenti tempore vestra abun-  
dantia illorum inopiam suppletat: ut & illorum ab-  
undantia vestra inopia sit supplementum, ut sit a-  
qualitas. ibid. v. 13. & 14.

II. Cūm Saladinus Babylonie Rex Sarace-  
nus terram sanctam infestaret, ac Hierosolymam cepisset, Philipus II. Rex Franciæ, Henricus II. Rex Anglia, cūm antea inimi-  
ci essent, Guillermo Archiepiscopo Tyri præ-  
dicante, & Domino per gratiam, & per lignum miraculosum cooperante, facti sunt ami-  
ci, suscepitque de manu illius Archiepiscopi Cruce, statuerunt, ut omnes (exceptis illis, qui ipsam peregrinationem suscep-  
tent) ad impensas expeditionis decimam re-  
ditum, & mobilium suorum perfolverent.  
Hoc autem, ut notant Rigordus in vita Phi-  
lippi, & Rogerius de Hoveden in vita Hen-  
rici, factum est, contentientibus Episcopis,  
& Baronibus.

12. Porro si fideles, etiam laici bonorum pro-  
riorum partem in pium illud opus erogā-  
runt, quād̄ equius est, ut Ecclesiæ bona,  
qua ideo sacra dicuntur, quād̄ Divinis usi-  
bus sint destinata, in rem ad Dei gloriam, &  
animarum salutem tantoperè conduceant  
impendantur? Si laici fratum suorum cala-  
mitates tenentur sublevare, quād̄ magis  
Patores, & in Christo parentes? Si etiam ad-  
hibita excommunicationis sententiā, ut te-  
statut Rogerius, & innuit Rigordus, reni-  
tentes laicos ad folvendam decimam de rebus  
& mobilibus profanis indictam adegerunt:  
nōne turpe esset, si ipsi de bonis sacris,  
quorum sunt tantum dispensatores, opem in  
fidei, libertatis, ac vite periculo constitutis  
ultrō non offerent?

13. Praeivit illis nuper ipsum Caput: quis  
enim obfessā à Turcis Viennā, toti ferē Ec-  
clesiæ non metuebat exitium? Quis Otho-  
maniæ potenter in Germaniam, Italiam, ac  
remotores deinde Provincias irrumpenti  
obstiteret, Christianis Principibus inter se  
concerantibus, nisi providentia Summi Pon-  
tificis in te ipsum avari, & in Ecclesiam libe-  
ralissimi, suis confilijs, vigilijs, ac curis  
assiduis, effusam thesauri sui largitionem ad-  
junxit, quo Principes, ad communem  
Christiani nominis hostem repellendū arma-  
tos, juvaret; ac cūm proprijs ipsum manibus  
pugnare non deceret, effusis pecunijs vince-  
ret? Magnum quid præstare sibi videbatur

Innocentius III. in Concilio Lateranensi tri-  
ginta millia libraru[m] ad expeditionem in ter-  
ram sanctam offerens. Sed quād̄ exiguum  
donum, si conferatur cupi magna illa vi auri  
& argenti, quam Innocentius XI. in Germani-  
am & Poloniā misit? An exemplum aed̄  
insigne reliquorum Episcoporum, & inferio-  
ris Ordinis Clericorum animos ad depromen-  
dos Christianorum Principum conatus non  
accēderet? Cæteri Pontifices præceptis, atq; cen-  
sūris egerunt: Innocentius XI. exemplo invita-  
vit. Sed si qui præveniē non sequerētur, an de  
jubēre, vel etiā cogente justē conquererētur.  
Spontanea, inquietus, debet esse obligatio. 4.  
Is sanè quidem modus pietati Christiana con-  
gruentior est. Verū posse, urgente need-  
itate, reluctantes, saltē Clericos cogi, doc-  
cent plurimorum Decreta Conciliorum: solo  
præcepto usum est Lateranense quartum. At  
Lugdunense primum censuram adjectit; Scien-  
que, se omnes ad hoc fideliter observandum per ex-  
communicationis sententiam obligatos, ita quidē,  
qui super hoc fraudem scientes commiserint, senten-  
tiā excommunicationis incurvant.

Sed ne quis, hanc potestatem solis Con-  
ciliis competere, contendat, suaderat, ac  
praxis confirmat, eam etiam penes Summum  
Pontificem existere. Eilt ille paternoster, ad quem spestat cura totius domiū, Pastor  
universi gregis, & Caput visibile universi Ec-  
clesiæ, ad cuius proinde officium & authori-  
tatem spestat solicitude de universis domeli-  
ciis Dei, de singulis Christi oib[us], de co[n]clu-  
siōni ejus corporis membris.

Sane ita hodie refrixit charitas, totę  
congregandis Conciliis obstant impedimenta,  
ut peritura esset maxima Christianitatis pars,  
si cā tantum ratione auxilium esset expecta-  
dum. De sapientissimo igitur Ecclesiæ in-  
tutorē certò credendum est, ipsum Vitem  
suo, cūm ei sponsam suam commisit, fidel-  
itatem quoque largitum esse, cuncta perge-  
di, quæ ad securam ejus custodiā, ac deten-  
tionem essent necessaria.

Plurima sunt Pontificum hāc facultate  
utentur exempla; Clemens IV. è Gallia ori-  
undus, pietate atque integritate maxime  
conspicuus, anno 1267. Decimam omnium  
redituorum Ecclesiasticorum S. Ludovico Fran-  
corum Regiad expeditionem in terram San-  
ctam lese accingenti ad triennium concessit,  
cūmque Capitula Ecclesiastarum Cathedrāli-  
onis detinētarent, ea graviter increpauit, &  
excommunicationis, Beneficiorumque pri-  
vationis interminatione in ordinem rediget.  
Vide Raynaldum ad an. 1267. num. 53. & 149;  
Urbanus IV. etiam natione Gallus ante, ut  
videre est apud eundem ad an. 1256. num. 11.  
non Capitula solū (ne quis suscipiat lecum  
di tantum Ordinis Clericos cogi solitos) Archi-  
p̄t̄s Nemensem, Senonensem, & Bi-  
turicensem renitentes compulerat. Alia pa-  
sim in eodem Raynaldi volumine legi possunt  
exempla, ex ipsorummet Pontificum litteris  
ab eo citatis educta.

Sed ea est hujusmodi subsidiorū, du[m] necel-  
faria sunt, justitia, ut, qui se morolos in

ijs praestans exhibui ut, non tam authoritatis ad ea exigenda defectum in Summo Pontifice, quam abusus quodam, aut nimiam in exigendo severitatem causati sint. Verum praterquam quod longe absent hodie omnium illarum excusationum colores, cum Innocentius XI. suos thesauros exhausti malit, quam extra Italiam Decimas imponere, & reliquos Episcopos ex exemplo alliceret, quam pracepito urgere; non continuo negata esset Papa potestas, ut superius cum Gerfonio notavimus, etiam eius usi nonnulli olim abusus admixti fuissent.

19. Unum duxat video superfuturum Clero Gallicano, & alijs praeextum, si res eō perducantur, ut Pontifex, confumptis suis redditibus, non posset Christianarum aliquarum Provinciarum adversus Infidelium impetus securitati consilere, nisi exacto ab alijs subdio: nimirū non jam de recuperanda terra Sancta, sed de tuendo, vel restituendo Principum secularium dominio agi. Quasi vero solius Palestinae causā olim petite sint Decimæ, ac non unicum sit Ecclesia corpus; aut ideo deferendi sint Christiani in fidei periculo constituti; quia si eis manus porrigitur, non nihil utilitas illinc in Principes Christianos derivabitur. Nihilne Reges Francie perceperunt emolumenti ex complessis in partibus Tholosanis Albigensis, quā occasione Honorius III. Philippo Augusto partem etiam pecuniarum subdio terræ Sanctæ destinatarum concederat, ut videmus in ejus Epistola in append. 2. Tom. 5. Duchesne relat. sub num. 10.

Martinum IV. Natione Gallum Philippo III. Francorum Regi Decimas ad triennium concessisse, ut bellum gereret contra Petrum Aragoniæ Regem, Siciliæ invasorem, testantur ejus litteræ ad Joannem Legatum datæ, ut Praefuses ad solvendas Decimas cogeret, & citata ab Oderico Raynaldo ad an. 1283. num. 35. Nec dubitavit pius ille Pontifex, ut ostendunt litteræ ab eodem Historico citate ibid. n. 41. exactas à Clero pro instaurandis Syria rebus Decimas, olim decretas in Concilio Lugdunensi, ad defendendam Siciliam derivare. Narrat idem scriptor, & citatis ejusdem Pontificis libris probat. num. 10. ipsum non solum a Gallis, sed ab alijs quoque Prelibus opes in id conferri voluisse. Sicutos similiter, tum Provinciæ, atque Arelatensis Archiepiscopatus Praefuses Decimas Regi Carolo, ut hostem Regno ejiceret, loivere; atque ad id à Legato adigi praecipisse. Hac autem ab eo perpetram gesta non fuisse, suadent virtutes & miracula, quibus clariuisse, fertur apud Historicos. Honorius ejus successor, quas ille Decimas Philippo III. jam pro Aragoniæ armis comparandæ attribuerat, Philippo IV. ad quadriennium permisit, ut narrat Raynaldus ad an 1286. num. 27. Sed de his haec, que in proximam redigere, utinam nunquam opus sit.

### §. III.

Quocnam Summo Pontifici jus sit erga beneficia Ecclesiastica intra Galliam consistentia?

21. Hanc rem ita prosequitur Author praef.

tus cap. 12. Nulla in re, inquiens, laudabilior foret Gallorum pro defensione libertatum Ecclesie Gallicanae zelus, quam si antiquorum Canonum observantiam, circa Beneficiorum dispositionem laram testam servarent, nec Summum Pontificem cogerent suā supra Concilia, & eorum Canones, autoritate uti.

Restiterunt quidem Galli dispensationi super regula, quæ secularia Beneficia Regularibus personis conferri præcipit, quando Summi Pontifices beneficia Galliae Italies, aut alterius Nationis viris, de Ecclesia benemeditis distribuebant. At ubi ex Caroli VII. Francorum Regis Edicto anno 1431. dato non nisi indigenis (intellige sine Regis licentia) ea largiri licuit, Commendarum ulus in favorem secularium adeò invaluit, ut quamvis antiqua Canonica disciplina Concordatis confirmata fuerit tamen de Regia ad Prelaturas nominatione facienda. §. Volumus. Philippus Probus in addit. ad Gloss. Pragmat. Sanction. tit. decollat. §. Cui rei. num. 17. in hunc modum conatur. Hodie tamen sit contrarium, adeò quod in Gallia vir posset repertiri decimus Abbatum numerus professionis Regularis. Vnde non immutato visimus annis penè Domos Regulares ad nihil in vita, & moribus, prout & rebus rediit. & cada citatem amplecti, Monachosque Mendicantium Ordinum fieri, & extra septa Monastica potius eos languescere, quam vivere. Quæ sit horum occasio, vel causa, dicitur ex eo, quod Commendatarius aperta est superiorum porta, quibus his, & alijs de canis poterit claudijanua celi. Qui abusus ex eo tempore magis ac magis excrevit.

22. Eaque fuit una ex causis, cur Concilium Tridentinum à Curia Francie non fuerit receptum. Primam enim recusationis rationem eam attulerunt Regina, & magnus Cancellerius Nuncio, Concilij receptionem urgenti. Quod Concilium Tridentinum veteret, Beneficia Regularia in Commendam trahere, cum Rex hujusmodi Commendis multos Primates viros sibi devinciret, quorum auxilio difficultissim illis temporibus indigebat. Palla vicinus kif. Concil. Trid. lib. 24. cap. 11. num. 4.

23. Adeò non servantur in Gallia Canon 15. Synodi Nicene, 21. Antiochenz, & 5. Chalcedonensis, ut in nulla Christiani orbis parte frequentius violentur, cum innumeræ sicut Episcoporum translationes. Unde plurimum in illa Ecclesiæ malorum seminarium existit. Non enim tanto effectu Ecclesiæ, quam quis semel gubernandam suscepit, adheret: non tam sedulò invigilat; non tam facile permanens opera aggreditur: libertiis in Aule studia, quam in twenda Ecclesiæ sue iura propenderet, qui Aula beneficio ad pinguiorem se consicendere posse confidit: hoc ut assequatur, non solum magnatibus blanditur, sed obsequitur, etiam cum Ecclesiastici juris, & libertatis jacturæ: ambitione tenetur: hinc avaritia, illinc prodigalitate peccatur: ac demum futuri, non animarum, sed honesti, & divitiarum luci expectatio ita tempus, & cogitationem abripit, ut obsecrari suscepit.

- suscepti regiminis officijs nihil reliquum sit; & proprium gregem non perpetui Pastoris animo curer, sed temporani mercenarij more exsugere festinet.
25. Quo excidissent in Gallia è proprio gradu tom Episcopi, tum inferioris Ordinis Clerici, si Beneficiorum pluralitas cā pœna mulieretur, quam indixit Canon *deimus* Concilij Chalcedonensis? Quæ regula si valereret, & vigeret, non tanta plorosque ambitione, vel avaritia infesteret ad Aulicorum officia, aliorumque, quorum ope Beneficia Beneficijs accumulaturos se esse, sperent. Nontantus esset Ecclesiasticarum rationum neglectus.
26. Principia Ecclesie Gallicanæ libertatum pars olim in eo posita est, ne Romanus Pontifex Beneficiorum dispositionem sibi afflumeret. Verum tam, cum de illa dispositione Galli acerbius conquarebantur, Concilium ipsum Basileensem jus illud Summi Pontificis agnovit, ei aliquorum Beneficiorum dispositionem reservans *sess. 31.* *Decreto de collatione Beneficiorum*, ubi sic legitur. Non tamen intendit prohibere hæc sancta synodus hoc præsentis Decreto, quod minus futuri Romani Pontifices tempore Pontificatus sui modo honesto, & convenienti, de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultra disponant. Neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impeditre.
27. Quin etiam Universitas studij Parisiensis, quæ tantoper Curiam Romanam à conferendis Beneficijs arcere contendebat; tamen Romani Pontificis circa illa potestatem saepè imploravit, nedum agnovit. Hic unus erat ex articulis Martino V. Eugenij Decessori portatis; Item cum nonnulli Doctores, & Magistri infra scripti à Sanditate vestra gratias expeditivas obtinuerint in primo & principali Rotulo dictæ Universitatis per sanditatem vestram sub data 4. Kalendas Februario anno primo signato, quibus vigore earundem gratiarum de Beneficijs Ecclesiasticis minime provisum extitit, dignetus Sanctitas vestra eisdem concedere, quod dictis gratijs uti, & gaudere valeant, una cum gratijs in præsenti Rotulo per sanditatem vestram, ut speramus, faciendis: salvis tamen perimigrè articulis superiorius expressis. Cui articulo Papa respondit; *Fiat pro omnibus, & quibus non est provisum . . . .* Datum Romæ anno 1424. 25. May, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ (Martini V.) anno septimo. Refertur in *Historia Universitatis Parisiensis* tom. 5. circa prædictum annum 1424. Extant alia multa exempla similia apud eundem Authorum.
28. Verum cum Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Franciæ Regem inita, usulque subsecutus contentionibus hac de re nasci solitus imposuisse finem videantur, non est diuinus immorandum, sed expectandum, donec Deus eos, quibus beneficiorum provisio incumbit, ad revocandam ex omni parte antiquam Canoniam disciplinam circa rectam illorum dispositionem moveat.
29. Si omnes collatores, aut Patroni præ oculis semper haberent, quam stricta sit obligatio ea dignioribus conferendi, non autem
- indignis, vel etiam minus dignis propinquis, aut à quibus aliquod receptum est, vel recipiendum speratur officium, quamque terribile futorum sit supremi Patriarchiarum judicium adversus eos, qui in consiliendis in Domo Ministris & Officialibus, propria commoda, privatosque affectus magis attendunt, quam ipsius gloriam, & cultus decorum, aut animalium salutem, certe magis metuerent, ne non satius dignos, apostolique servos Domino tuo eligerent, quam gloriantur de jure suo, aut illud indebet ibi vendicare contenderent.
- Caterum non est, cur Galli Doctores liticos acculerent, quasi nimium extulerint Romani Pontificis circa dispensationem Beneficiorum potestatem, cum Doctores Galli non minus latè illam explicuerint. Petrus Rebussus in *concordatis tit. de Mandatis Apoll.* §. Et ut obvietur, verb. *Gravare, lcripsi, papare, præventionis omnia iura, potest conferre, iam ita mundus fit Diœcesis Papæ, cap. Cuncta per mundum.* Et cap. *Per principalem, q. quæ, 3. Vnde non est mirum, si in sua Diœcesi, & sic per totum mundum conferre possit.*

## CONCLUSIO.

Ius Summi Pontificis erga totius orbis Christiani beneficia Ecclesiastica fundatur in *jure Divino*, estque illimitatum, nisi in quantum ejus usus ex specialibus concordatis fortè coactatur, accipiente moderationem suam ex regulis Cancelariae Apostolicae, salvâ semper plenitude potestatis Pontificia.

Explicatur & probatur. Romanum namq; Pontificis in conferendis Beneficijs Ecclesiasticis authoritas sublimitat ex indefinita per Christum sibi concessâ authoritate, habetq; jus illimitatum super universis, coiunctaque sint conditio & qualitatis, Ecclesiasticis beneficijs, ut liberè conferre possit quiblibus personis idoneis. Ex cap. *Cuncta per mundum*, q. 2. Cap. 2. De præbendis, in 6. & Clement. 1. *Vt sic presidente.* Neque libera hæc Summi Pontificis potestas Divinitus concessa ligata potuit ex hoc, quod Ordinarijs, aliisque Prelatis concessa facultas, conferendâ certa beneficia Ecclesiastica, vel aliter super ipsi providendi: quia hæc concessio non habet le privative, sed solùm cummulativer ad illam Summi Pontificis authoritatem. Imò Papa concedens Ordinarijs ejusmodi facultatem, nullatenus potuisse private potestare per ipsumm Chirulum sibi concessâ: juxta Cap. *Dudum, De præbendis*, in 6. ubi decernitur in hæc verba: *Nos igitur attendentes, quod, eti memorato Episcopa præstatam concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit major.*

Ex quo redditur indubitatum, si Pontifex præveniat Ordinarium in alicuius beneficij collatione, hanc esse præferendâ collatione facta per Ordinarium, nisi forte ista habeat

## De Apost. erga SS. Canones potestate. 507

prærogativam seu prioritatis, seu etiam possessionis; juxta Cap. Si à sede. De præbend. in 6. & Clement. 1. s. Neuro. Ut lice pende. cùm cæteroqui merito habenda sit ratio per cit. Cap. Dudum, adducta, cui subiectitur: Propter quod nostra, qui eandem (simd majorem in collatione beneficiorum) occupavimus potestem, potior esse debet conditio.

Soler equidem Summus Pontifex regulariter se non ingerere in collatione beneficiorum, que libera collatione (præsentationeque patrōni præsupposita) institutioni Ordinariorum permisit; tamen vel Summus Pontifex derogare potest huic iuri, si quæ absoluta auctoritate uti in conferendis beneficijs, vel etiam de facto sibi reservavit seu generaliter, seu specialiter, aut etiamnum potest reservare certa beneficia.

S. IV.

## Corollarium.

**I**nfertur; Quibus rys ac medys Ecclesia Galliana ad onera beneficiorum Ecclesiasticis imposita extendi, sibi adserere libertatem a se nunc prædicti consuetam t' Author praedit, tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 6. hanc rem ita describit. Ex omnibus malis, que dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quamplurimorum causa fuit ichismus. Cùm enim Clemens V. Philippi operâ ad Sommum Pontificatum evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt sublequentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romanam retulit. Eo Româ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majori ex parte Galli erant, Bartholomaeum Prignianum Barij in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex le Cardinalium severum animadversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa infensos habuit, illi Anagniam primum, deinde Fundos lecesserunt, ubi Conventu facto, electionem Urbani VI. utpote gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciaverunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque Ioannes Grangius, Gallicus laGrange, Cardinalis & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratia Caroli VI. Francorum Regis potentissimum. Româ Urbanus habuit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam misere lacervit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense, abrogauit de Pontificatu contendentibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Gregorij Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, quique solus postea legitimus Pontifex agnitus est.

Tempore autem illius schismatis cum uterque Pontifex ad uendam suam dignitatem maximis sumptibus, & potentibus ami-

cis indigeret, gravia Beneficiariis onera imponebat, Beneficiorū collationē sibi reservabat, multaq; contra disciplinam antiquam coinittebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacij VIII. avita erga Summos Pontifices obseruantia, aliquantum refrixerat, maxime autem Clerus tanti pondoris impatiens, & Universitas Studij Parisiensis, cujus tune temporis magna erat non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica authoritas, queque molestè ferebat, viuis literatis Beneficia non conferri, de excutiendo illo iugo cogitabant, quare Regis, Senatus Parisiensis, & Regni Primatum opem implorabant, ac promptam naeti sunt. Itaque sub Carolo VI. cùm adhuc astate, ac deinde mente debilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesie contra Pontificum exactiones, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cætera omnia, que nimis gravia videbantur, in quo potentia laicularis cum Clero consentit, cumque maxime moperet juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multò magis Jurisconsultorum animos invaserit studium quoddam librande Pontificis auctoritatis, ne ultra postios sibi à Christo terminos in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde eniam ad Concilia Oecumenica examinanda, libertas illa protensa est.

Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesie 36. Gallicante nomine censeri voluit, Biuricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilij Basileensis Decreta, exactiōibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquamdiu hæc Sanctio, cœu Thefaurus, ac Promptuarium libertatum Ecclesie Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatus convellebatur auctoritate.

**V**erum Summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam iuribus suis infestam, ac quasi schismatis formum tunc temporis editum, cùm Concilium Basileense legitimum non esset, abiente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papâ, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum Summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quod convocati fuerant etiam Patres Basileæ degentes) quorumque decreta, utpote à Capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant anteponenda. Tandem Pontificum diligentia Pragmatica illa sanctio primum à Ludovico XI. deinde à Francisko I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta.

Senatus quidem, & Universitas Studij Parisiensis, imo Clerus universus diutissim è illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cede. te coactisunt, quamvis, ut sapere significarunt,

Tunc inviti.

inviti. Nam adhuc anno 1636. cùm in Comitiis Cleri Gallicani Procuratores, seu Promotores inter Acta Cleri paulò ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. relata fuisse, atque inde tacitum Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortassis inferendam monuissent, Comitia authenticè declararunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illuc fuisse insertum. Itaque licet titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur, ea fuisse Statuta loco dictæ Pragmaticæ Sanctionis, ac omnium Capitulorum in ea contentorum: tamen adhuc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expresse contraria non sunt.

39. Ceterum Ecclesia Gallicana, quæ, ut se à Summorum Pontificem exactionibus, & Beneficiorum reservationibus liberarit, ad Potesates sacerdotes recurrit. Potestatis sacerdotalis facta est serva, & cùm Romani Pontificis jurisdictionem moleste ac graviter tulit, suam, à laica ferè omnino absorptam ingemuit. Testantur enim Parliamentorum placita, Advocatorum libri, in quo frequenter Cleri Gallicani querela, praetextu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sacerdotali esse ferè penitus extinxerat.

40. Nec magna futurae restitutionis spes affulget. Cùm enim Summi Pontificis auctoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, alijque Ordinis Ecclesiastici viris ad defendenda sua jura opem ferre. At nunc eā imminutā, etiam postulante Clero, aut potius constricto ejus potestatis usu, parvum effectus auxilium à sancta Sede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad Majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriam suā partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse possum, suamq; auctoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesia libertate seriò impendat.

41. Sicut igitur Gallia ipsa exactionibus, & Beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus vel ab eorum Officialibus premi conquerebatur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut viciniores haberet, ac postmodum in scilicet inter plures Pontifices Avenionensem partes amplectens; sic etiam ut se adversus illa onera contra Potestatem Ecclesiasticam tueretur ad laicam recurrens, ab illa in diuiriorem, ac miserabiliorē servitutem redacta est. Hoc utrumque testantur scriptores Gallicani. Geneslaus Chron. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificie, ista scriptit: Denique hæc Sedis Apostolica translatio valde sedavit antiquam Ecclesiæ faciem. Nam præter inauditas dispensationes, & sanctorum Canonum enervationes, pergit illud Divinum jus, sacerdotalia sacerdotalibus, & regularia regularibus; maximè in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquam Babylonice (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, iura denique confudit, corruptaque) Patriæ, & Principibus impie

favere gestiunt. En servituis origo, en libertatis vindicanda occasio.

Pragmaticam Sanctionem Judicibus scularibus ad opprimendam, & ferè extinguentam Jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse, docet Tractatus de Jurisdictione Ecclesiastico. 1. cap. 9. Adorum Cleri, editio 1673. exscriptus.

Non est tamen hic omittendum, Edmondum Richerum Doctorem ac Socium Sorbonicum in Libello de Ecclesiastica, & politica protestate num. 13. Gallicanarum libertatum originem appellationibus ab abuso tribuere; Hæc ratio procedendi Gallorum, inquit, de appellationibus loquens; originem præbuit Ecclesia Gallicane libertatibus, ut eas vulgo nominarent. Quæ certè origo, si vera est, & plurimum est Ecclesia odiosa, nec multum antiqua.

### DISQUISITIO VIII.

*Quid posuit Summus Pontifex circa Ecclesiam Gallicanam, ejusque specialia iura & libertates?*

#### S. I.

Merito hic præmittenda venit descriptio Ecclesiae Gallicane, de cuius præstabilitate hic agitur, quod ex saepi suo auctore tractatus de libertatibus Ecclesiae Gallicae, lib. 1. cap. 2. & n. 6. hinc exhibemus. Quamvis igitur Ecclesia nomen pro Clero frequentius usurpetur: tamen cùm de libertatibus Gallicanis agitur, ea vox non solum Antiphiles, sed & Laicos complecti, maximè Regem, cuius Officiales, à nonnullis dicuntur; ad eam Ecclesia Gallica significet fideles omnes in hoc Regno degentes, cum aliquo tamen ordine ad Religionem, ad quam resertor omnis Ecclesia apud Christianos: qua in resolutione vendum est, ne sub nominis æquivocatio fraus contingatur, quod reverè contigile, conqueritur Illustrissimus & doctissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montpellierianus ea ad Stephanum Baluzium epist. qæ ante libros D. de Marca de concord. Sacré. & Imp. edita est. Incidi, inquit, in locum ipsius scriptoris anonymi, qui ementito Gallicana libertatis propagrandæ titulo librum notâ censorij olim adiustum, Regis sanctione proscriptum, ac perpetuus tenebris damnandum, in lucem rite ejus est: illo falsam ibesim (scilicet Laicorum quæ à Clericorum cœtum Ecclesiam Gallicanam compnere, ejusque communī decreto publica ejus Ecclesia negotia decidi, & non Episcoporum iudicio, ab quos propositionem de difficultibus negotijs, qæ ab ipsorum vocationem spectant, tantum pertinet) & autoritate amici nostri fulcire mituit. Quamvis fraudem scriptoris facilimè detegere, & delusum eius mentem in æquivoco, ut logentur Logici, cùm libertatis, tum Ecclesia nomine animadverterem. Alia est enim significatio Ecclesie, domus fideles omnes complectitur, ut & libertatis, quæ singulis